DE
LACTEA LIVII VBERTATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
AVCTORITATE
DIE XXVII. AVG. A. P. C. N. CIƆIƆCCXXXXVI.

PRO LOCO

IN EODEM ORDINE OBTINENDO
DISPVTABIT

M. IOANNES HENRICVS PARREIDT
SCHOL. NICOL. COLL.

LIPSIAE
LITTERIS LANGENHEMIANIS.

VIRO

ILLVSTRI, MAGNIFICO

EXCELLENTISSIMO

ATQVE CONSVLTISSIMO

D. IACOBO BORNIO

REGIS POLONIARVM ET

ELECTORIS SAXONIAE

CANCELLARIO VICARIO,

CIVITATIS LIPSIENSIS CONSVLI,

SCABINATVS ADSESSORI,

AD AEDEM SCHOLAMQVE D. NICOLAI

ANTISTITI

DOMINO ATQVE MAECENATI

INDVLGENTISSIMO

VIR

ILLVSTRIS, MAGNIFICE,

EXCELLENTISSIME ATQVE

CONSVLTISSIME

DOMINE ATQVE MAECENAS

INDVLGENTISSIME

Quum TE, INDVLGENTISSIME MAECENAS, in eorum numero magnorum virorum esse sciam, quorum ingenia liuianarum histo-

ria-

riarum dulcedine inprimis oblectantur: Quum TE antistitem scholae nostrae suspiciam, qui ipsius, et adhuc TVO NOMINE, quod in sinu suo TE tulerit, superbientis pro felicitate, indefesso studio, vigilas, ipsique Amplissimi Senatus concilias benignitatem; aequissimum erat, vt et TIBI studiorum meorum redderem rationes, et illustri TVO NOMINI, has de Liuio lucubrationes, cum votis, pro TVA salute, ardentissimis consecrarem. Ignoscas igitur, VIR SVSPICIENDE, meum ausum,

et

et permittas, vt pietatis ardore commotus, TVIS, pro reipublicae ſalute curis, meas, pro TVA ſalute, precationes interponam. Geſtum abs TE, inter tantas aduerſae fortunae procellas, magna cum gloria, conſulatum, ſeruatamque, TVIS TVORVMque COLLEGARVM conſiliis, reipublicae noſtrae incolumitatem TIBI ſubmiſſe gratulatus, enixe precor, vt gerendus TIBI in poſterum magiſtratus aeque magno, laetiori tamen, laudum TVARVM fructu exuberet. Veneror ſummum Numen, vt

TVA

TVA consilia, quibus, restituta reipublicae tranquillitate, res secundas nunc moderaris, fortunet, TVAMque et AMPLISSIMI SENATVS gloriam felicitatemque quam diutissime perennare iubeat.

VIR ILLVSTRIS, MAGNIFICE

EXCELLENTISSIME

ATQVE CONSVLTISSIME

ILLVSTRI TVO NOMINI

ADDICTISSIMVS

M. IOANNES HENRICVS PARREIDT.

§. I.

Instituti ratio redditur.

Quam dicendi libertatem omnes ii concedendam sibi postulant, qui vel quamdam eruditionis partem explicare sustinent, vel doctorum virorum labores ad examen vocant; eamdem et mihi posse indulgeri putabam, quum, meam de historiis LIVII sententiam, publice exponerem. Iam tum animus mihi fuit, aliorum, secus sentientium, opiniones nequaquam exagitare, omnem potius litem aequis lectoribus dirimendam relinquere. Nunc fidem dictis meis faciam, et nemini propterea, quod a nostra discesserit sententia, succensebo, mentem nostram tamen alio tempore eadem de re vberius expliciturus. Relictis igitur historiis LIVII, ad dictionis, qua ille vsus est, indolem explicandam accedo. Auctoritatem vero QVINCTILIANI, Calagorritani rhetoris, quem nemo non maxime idoneum istarum rerum iudicem arbitrabitur, sequutus, tutam ab erroribus viam videor mihi ingressus. Is autem, diiudicatis celeberrimorum historicorum monimentis, quid laude, quid reprehensione dignum in iis inuenerit, haud perplexe indicans, eiusmodi sententiam de LIVIO pronuntiauit.[a]) *Neque illa Liuii lactea vbertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis sed fidem quaerit.* Atque ita quidem commemorat QVINCTILIANVS

a) QVINCTILIANVS in *Instit. orator.* Lib. X. cap. I. §. 32.

LIANVS virtutes LIVII, nec tamen vitia in confinio virtutum posita dissimulat, quin potius aperte profitetur, dictionis elegantia LIVIVM a rerum fide paululum esse abductum. Quam vero isto in loco celebrauerat dictionis liuianae praestantiam, eamdem alibi etiam mira laude rhetor [b]) extulit, LIVIVM commendans *quum in narrando mirae iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem.* Candoris autem significationem probe inquiras velim, ne animo fluctuantem, et velut a se ipso dissidentem suspiceris QVINCTILIANVM. Non solum enim animi sinceritatem, fallere nesciam, sed et insignem pulchritudinem elegantiamque teste CICERONE [c]) vox ista denotat. Iam vero elegantiae significationem adoptandam esse autumo, quum QVINCTILIANVM, altero isto loco, eo argumento perspiciam occupatum, vt sermonis nitorem et pulchritudinem, LIVIO propriam, non vero fidem et veritatis amorem collaudet. Sic igitur priori in loco QVINCTILIANVS ipse LIVII fidem suspectam iudicat, quamquam non reprehendat dictionis virtutem, et ostendat potius, quam nullum sit absque aliquo bono malum. Sed tantum abest, vt acrius vrgeamus LIVIVM et vicina virtutibus vitia, iam pridem in eo animaduersa et publico conspectui exposita, vlterius insectemur, vt potius in describendis eiusdem virtutibus operam nostram simus collocaturi. Lacteam vero hanc vbertatem, in LIVII historiis obuiam propterea explicare, quantum in nostris viribus est, allaborabimus, vt historiarum amatores et eloquentiae romanae studiosi, qui ad eamdem dictionis virtutem adspirare et cum eloquentia coniungere cupiunt, viam norint, qua ad illam elegantiam possint eniti, simulque in historiis perscribendis sibi cauere discant, ne nimio ornatu ipsam subinde veritatem deforment. Talem igitur potissimum sequemur ordinem, vt, simul atque probauerimus, lactea hac vbertate mixtam cum copia iucunditatem orationis indicari, quae vtriusque virtutis natura sit, inuestigemus, eamque, exemplis ex LIVII historia depromtis, confirmemus.

§. II.

b) QVINCTILIANVS in *Instit. orator.* Lib. I. cap. I. §. 101.

c) CICERO in *oratione pro M. Coelio* cap. 15. *Candor huius te et proceritas vultus, oculique perpulerunt.*

§. II.

Quas orationis virtutes hac lactea vbertate intellexerit Quinctilianus, disquiritur, aliorumque eadem de re sententiae adferuntur.

Lacteam LIVII vbertatem QVINCTILIANVS praedicans, duplicem LIVIO adsignat virtutem, et copiam sermonis et suauitatem. Sermonis vero copiam, vbertatis nomine, translato quidem, sed rei significandae aptissimo denotari nemo dubitabit. Non solum enim foecunditatem agrorum, et luxuriantes fructibus arbores vox ista indicat, sed etiam velut ex prono alueo profluentem orationis copiam, quum verborum abundantia, tum ipsarum rerum multitudine accrescentem, QVINCTILIANO teste [d]), designat. Adiectum autem huic vbertati lacteae cognomen, iucunditatem aut suauitatem sermonis indicare, quum vocabula huic voci adgnata, [e]) tum QVINCTILIANVS ipse [*]), suorum verborum optimus interpres, aliis in locis iucunditatem liuianae historiae tribuens, satis aperte declarauit. Nec in errorem abreptus fuit rhetor, quum ea, qua multum valebat, ingenii sagacitate, animique probitate vtramque LIVIO vindicaret virtutem. Tanta namque in singulis fere historiae suae partibus efflorescit vbertas, vt ab vnoquoque, nisi animum prorsus auertat, perspiciatur. Quare ne imperator quidem Caligula, quum et praeclara laudum exempla delere, et omnem virtutis amorem exstinguere moliretur, hac virtute LIVIVM defraudauit, quamquam propterea eum carpserit, et in historiis verbosum fuerit solitus appellare. [f]) Maiori animorum motu de iucun-

 ditate

d) QVINCTILIANVS in *Instit. orator.* lib. X. cap. I. §. 13. de paranda sermonis copia verba faciens, ita tandem disserit: *Quorum nobis vbertatem ac diuitias dabit lectio, vt his non solum quo modo occurrerint, sed etiam quo modo oportet, vtamur.*

e) PEROTTVS in *cornu copiae linguae Latinae* ad hanc vocem pag. 297. *Lactare enim est non solum lac praebere, sed etiam dulcedine aliqua retinere et ad persuasionem inducere* Ter.

Nisi me lactasses amantem et al. loc.

Eorum animos lactas.

hinc paullo post PEROTTVS: *Lacteus, candidus, suauis, succulentus.*

*) QVINCTILIANVS *Inst. or.* lib. I. c. I. §. 101.

f) SVETONIVS in *Caligula* cap. 34. *Sed et Virgilii et T. Liuii scripta et imagines parum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit: quorum alterum vt nullius ingenii minimaeque doctrinae, alterum vt verbosum in historia negligentemque carpebat.*

ditate LIVII disceptatum est, negantibus hanc LIVIO aliis, aliis vero adserentibus. Antiquorum, qui proximi ad eam aetatem, qua LIVIVS floruit, accesserunt, pleraque testimonia insigni iucunditatis laude liuianam historiam mactauerunt. QVINCTILIANO, cuius auctoritatem maximi facio, SENECA g) suffragatur, librum ab amico quodam sibi transmissum, aeque dulcem aeque iucundum existimans, ac si LIVIVM aut EPICVRVM profiteretur parentem. Nec vllum praeterea pristinorum grammaticorum memini, qui, quamlibet in elimandis antiqui aeui scriptis magnum aetatis suae spatium transegerint, de ista laude quidquam detraxerint LIVIO. Recentiores vero quidam, critico supercilio LIVII scripta contemplantes, in aliam transiere sententiam. Iam TRAPEZVNTIVS h) mixtam cum iucunditate asperitatem in LIVII scriptis detexisse sibi visus est. BENIVS i) etiam et BODINVS k) asperitatis cuiusdam LIVIVM insimulauere. Nec ERASMVS l) sibi temperare potuit, quin eamdem LIVIO inureret notam. Sed bilem propterea mouerunt RAPINO, m) qui, reiectis illorum opinionibus, historiam LIVII, tamquam opus, numeris omnibus absolutum, cuicumque, ad historias memoriae prodendas adgressuro, ad imitandum proponit. Quod si in hac diuersarum sententiarum pugna pacis negotia suscipere liceat, nostra quid efficere possit industria, tentabimus. Quum tam varia sit ingenii humani indoles, vt, quae in deliciis alter habet, alter fastidiat, varii fontes sint, necesse est, ex quibus varia in diuersorum auctorum labores scaturiat suauitas. Humilis et tenuis dictio sua commendatur gratia: sed magnificum et sublime dicendi genus non minori superbit iucunditate. Quorum igitur ingenium humilitate orationis oblectatur, ii magnificam dictionem, non secus ac tenuiori cibo adsueti, fastidiosam copiam et pretiosiores diuitum coenas adspernabuntur.

g) SENECA *epist.* 46. *Qui quam disertus fuerit, ex hoc intelligas licet; breuis mihi visus est, cum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo adspectu aut T. Liuii aut Epicuri posset videri. Tanta autem dulcedine me tenuit et traxit, vt illum sine vlla dilatione perlegerem.*

h) TRAPEZVNTIVS in *rhetoricis* lib. V. ad finem.

i) BENIVS *poet.* lib. I. cap. 2.

k) BODINVS in *methodo hist.* lib. II.

l) ERASMVS ep. 613. tom. III. Opp. pag. 695.

m) RAPINVS dans *les reflexions sur l'histoire.*

buntur. Ii vero, quos sublimior spiritus in altum rapuit, humi repentes tristi supercilio despicient. Hinc facile fieri potuit, vt non apud omnes eamdem iucunditatis gloriam sibi LIVIVS comparauerit. Altius enim exsurgit, nec, nisi dicendi materia velut ex sublimi ipsum detraxerit, ex alto in planum se demittit. Haec fortassis caussa fuit, cur asperior visa sit eius maiestas, iis, qui in plano semper, tamquam in tuto, latere cupientes, tantae maiestatis splendorem nequeunt tolerare. Quodsi vero celeberrimorum artis dicendi magistrorum, CICERONIS[n]), DIONYSII HALICARNASSENSIS[o]), QVINCTILIANI[p]), HERMOGENIS[q]), RAPINI[r]), VOSSII[s]), BOHVRSII[t]), BERGERI[v]), aliorumque praecepta pensitauerimus, non possumus non permixtam cum vbertate iucunditatem LIVIO adserere, plenam tamen maiestate, et sublimiori spiritu animatam. Asperam quamdam verborum locationem in LIVII narrationibus offendi, vltro ipsi profitemur, eam tamen, quam Patauinus magna cum laude magnoque artificio, rerum naturam imitaturus, adfectauit. Sed eiusmodi collocationis asperitas laudanda potius quam vituperanda ipsam adauget iucunditatem, nedum eam imminuat. Nemo vero, quantum nos quidem scimus, praeter MORHOFIVM[x]) praeclare de LIVIO meritum in hoc argumento explicando desudauit. Sed velut aliud agendo ad hanc dicendi materiam paululum diuertit MORHOFIVS, non nisi breue tempus in eadem commoratus. Quare quae ille fugitiuo pede vel attigit tantum, vel prorsus praeteriit, ea nos paullo diutius nunc tenebunt.

§. III.

Vbertatis huius natura explicatur.

Vario verborum ambitu animi sententiam eloquuti veteres insignem eloquutionis differentiam pepererunt. Alii verborum auarissimi Laconumque superbiam imitantes, resectis verborum ambagibus

n) CICERO de *Oratore*.

o) DIONYSIVS HALICARNASSENSIS περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

p) QVINCTILIANVS in *Institut. orator.*

q) HERMOGENES περὶ ἰδεῶν.

r) RAPINVS dans *les reflexions sur l'histoire*

s) VOSSIVS de *instit. orat.*

t) BOHVRSIVS dans *la maniere de bien penser dans les ouvrages d'esprit.*

v) BERGERVS de *naturali orationis pulchritudine.*

x) MORHOFIVS de *Patauinitate Liuii* cap. V. pag. 61.

gibus plura intelligi cupiebant, quam enuntiari. Alii Asiaticam loquacitatem adfectantes, quae ex Asia in Graeciam commigrans, eam torrentis instar inundauerat, rerum penuriae ventosa verborum multitudine subuenerunt. Vtrumque vitium effugit Patauinus, mediam ingressus viam, quae nec breuitate nec longitudine offenderet. Iusto verborum ambitu animi sententiam exponit, vt nihil deficiat, nihil redundet. Ad Rhodium itaque vti et celeberrimo HEINECCIO y), visum est, propius accedit genus dicendi, quod ab Aeschine in insula Rhodo ortum z), tanta paullo post in celebritate fuit, vt in maximorum ingeniorum, quae ad eloquentiam addiscendam eo accesserunt, fauorem se insinuauerit. Huic igitur eloquutionis formae LIVIVM deditum fuisse adfirmantes, iis, qui in rhetorum scholis versati, varia eloquendi discrimina perscrutati sunt, primis veluti lineis hanc vbertatem designauisse poteramus videri. Vberiorem tamen addemus finitionem, hanc vbertatem eiusmodi dicendi copiam adpellantes, quae res gestas, earumque praecipua momenta, circumstantiarum nomine vulgo insignita, variis, et in hunc velut vsum natis vocibus, varioque amplificationis compositionisque ordine exponit, vt perfecta rei gestae imago lectoribus repraesentetur. Sollicitudo igitur rerum, nec minor tamen verborum cura est adhibenda. Ex his enim partibus quum omnis historia in vnum veluti corpus coalescat, in iis etiam totius corporis virtus vigebit. Quanta vero LIVIVS rerum verborumque opulentia exuberet, exempla iam adducenda declarabunt.

§. IV.

Vbertas rerum ex historia Romuli enucleatur.

Ex opima rerum dicendarum segete non potest non larga prouenire narrationis vbertas. Multitudo enim rerum amplificationi orationis amplissimas adfert opes a), haud secus atque in fertilibus agris, in quibus, quo laetior efflorescit seges, eo plura ex iis foenora ab auido colono colliguntur. In singulis fere historiis quaedam reconditae latent particulae, quae, si cum cura enucleantur, largam dicendorum messem amplificationi suppeditant. Felicitas ingenii

y) HEINECCIVS in *fundamentis stili* part I. cap. II. §. 41.

z) QVINCTILIANVS in *Institut. orator.* lib. XII. cap. X. §. 19.

a) CICERO de *Oratore* lib. III. cap. XXXI. §. 125. idem testatur: *Rerum enim*, inquit, *copia, verborum copiam gignit.*

genii ſedulo ea ſingula rimatur momenta, rerum attributa, temporis, loci, perſonarumque περιστάσεις indagat, nec quidquam negligit, quod memoratu dignum copioſiorem reddit narrationem. LIVIO tam felici eſſe contigit, vt, quo multum valebat ingenii acumine, ſingula rerum geſtarum momenta, ſcitu neceſſaria, indagaret et memoriae proderet. Vt exemplo quodam noſtram comprobemus ſententiam, Romuli nati et ab auo agniti hiſtoriam, quam LIVIVS vberrime deſcripſit α), per ſingulas partes eundo, perluſtrabimus. α) Lib. I. c. 4. Romuli parentes, ortum, expoſitionem, conſeruationem, educationem, regiae ſtirpis manifeſtationem et reliqua huic hiſtoriae adfinia non adfert ſolum, ſed ſingula etiam, quae eamdem comitata fuere momenta. Amulii vafritiem, inſidias, easque fruſtatam deorum prouidentiam et mirabilem fortunae, mox triſtiori mox laetiori vultu gemellos reſpicientis volubilitatem ſollicite inueſtigat. Parentum non nomen ſolum edit, ſed quo et ipſi orti fuerint ſanguine, quae ſubierint fata, quas poenas mater ſuſtinuerit, curatius, vti par erat, inquirit. Expoſitionem ita deſcribit, vt nec locum, nec loci ſitum, nec exundantis ſtagni aquas, nec miniſtrorum errores praetereat. Quo fortunae beneficio, quo miraculo, quorum miniſtrorum auxilio Romulus cum fratre conſeruatus, quibusue fabulis haec hiſtoria ſit inuoluta, oſtenditur. Educationem qualem pueri ſortiti, quomodo adoleuerint, quibus laboribus exerciti, quibus artibus eruditi, quo corporis robore inſtructi fuerint, exponitur. Stirps regia ab auo et Amulio quomodo cognita, quo vultu excepta, qua mentis agitatione tractata, quo rerum ſucceſſu laeta tandem fuerit, egregie LIVIVS indicauit. En! quantis vna hiſtoria foecunda ſit rerum momomentis, quae hiſtoriarum conditor, vbertatis laudem conſequuturus nunquam omittet. Vt LIVII vbertas magis in oculos incurrat, eamdem hiſtoriam, velut ex oppoſito huic adponam ſatis copioſe a IVSTINO b) deſcriptam, ita tamen, vt multo maiori narrationis abundantia hic ab illo ſuperetur. Non commemorat IVSTINVS, vtrum vi compreſſa, an lubens ſtuprum paſſa fuerit Veſtalis virgo: non exundantes Tiberis aquas: non, vaſtas in ea regione ſolitudines, quae lupis confugium dabant: non loci, quo expoſiti erant infantes, ſignum: non Fauſtuli vxorem, gemellorum nutricem: non Lupercal in Palatino monte inſtitutum: non occaſionem,

b) IVSTINVS lib. XXXXIII. cap. II.

nem, qua pastores regiis pueris insidiati erant: non arcanam Faustuli coniecturam, stirpem regiam apud se educari suspicantis, quam tamen animo texerat, donec necessitas eam aperire iuberet. Haec et alia plura praeteriit IVSTINVS, per compendia viarum ad finem tendens: LIVIVS vero, suas diuitias ostentaturus, ista singula sollicite conquisiuit, magnaque dicendi copia, nec minori verborum elegantia instructus exposuit.

§. V.

Quatenus verba eiusmodi vbertatem efficiant, anquiritur.

Ad verba, sermonis vbertatem progignentia, descendentibus et insignis eorum copia et multimoda vicissitudo consideranda est. Ipsa vero haec copia ex epithetorum vsu synonymorumque adparatu exoritur. Equidem probe noui, quanta opus sit cura et circum spectione, ne, dum virtuti studes, in vitium incidas. Plerique rerum penuria laborantes, aut nescio quam elegantiae gloriam aucupantes ad haec subsidia confugiunt, et, vel irrito, vel ad pompam orationis augendam efficto epithetorum synonymorumque strepitu, quam exornare cupiunt, deformant potius orationem. Sed si tunc iis vteris, quando peculiare rei discrimen indicant, quando graue ipsi pondus addunt, non exiguam mereberis laudem. LIVIVS sane non nisi magno cum decore iis vsus suam exornauit historiam. Ad eamdem, quae praecedenti paragrapho nostris vsibus inseruiit, historiam oculos conuertamus. Illic plerisque substantiuis adsociata videbis epitheta, sed quae vel singulare aliquod rei discrimen adferunt, vel graue ipsi adiiciunt pondns. Imperium Romanum adpellat *maximum:* filios Rheae, *incertam stirpem:* fluuium, *profluentem aquam:* Tiberi tribuit *lenia stagna, iustum amnem, languidam aquam, proximam alluuiem:* Paullo post adfert *vastas in iis locis solitudines, fluitantem alueum, tenuem aquam, lupam sitientem.* Nullum ibi epitheton otiosum, nullum temere confictum, nullum synonymum praeter necessitatem cumulatum, nullum absque pondere collocatum. Huic, quam modo attigimus vbertati haud incommode adiungendus est, insignis propositionum ea de caussa insertarum prouentus, vt, quae rebus attributa sunt, magis patescant, et verborum sensus tamquam firmiori vinculo contineatur. Sic LIVIVS lupam, quae ex vicinis montibus ad pueril m vagitum cursum flexerat, commemoraturus, quum temporis, tum loci varias variis propositionibus innectit

nectit circumſtantias, temporis quidem, *quum fluitantem alueum in ſicco aqua deſtituiſſet*, loci autem, dum alueum, quo *expoſiti erant pueri* adducit. Sic exercitationes et latrocinia adultorum deſcripturus eadem propoſitionum innexarum ſerie orationem vincit, et temporis, quo omnis res geſta erat, et laborum, quibus ad eiusmodi latrocinia pueri fuerant adſueti, faciens mentionem.

§. VI.

Figuras quasdam rhetoricas huic vbertati prodeſſe comprobatur.

Ad eam verborum copiam, quam explicare adgreſſi ſumus, commode referre poteris quasdam orationis figuras vbertati adprime inſeruientes *περίφρασιν, μακρολογίαν* c) repraeſentationem. Periphraſis circumloquitur rem vel eius definitione vel eorum quae ipſi attribuuntur, enarratione. Eſt ea haud exigua oratorum virtus, qua non extendunt ſolum orationem, ſed varietate etiam quadam diſtinguunt, maiorique veluti lumine illuſtrant, ne crebriori eiusdem vocis iteratione taedium lectori moueatur eleganti cumprimis et delicato. Sed nec minus hiſtorico vtilis eſt iſte loquendi circuitus, eamdemque ſeruat virtutem. Hac igitur LIVIVS circumloquutione decore vſus, dilatauit quidem narrationem, garrulitatis tamen ſuſpicionem, reiecto ſuperuacui ſermonis vitio, prudenter euitauit. Hinc montes vicinos nominat β) *montes, qui circa ſunt;* ſenem adpellat, *grauem annis, qui non militaribus ſolum, ſed ciuilibus etiam abſceſſerat muneribus.* Hinc gentis nomen pro ipſa gente saepiſſime vſurpauit, quemadmodum illud. γ) *Nomen omne latinum domuit*, et alio loco: δ) *omne Volſcum nomen deficeret.* Quare non facile rem perſonamque absque inſigniori nota dimittit. Sic Caudinam pacem ε) adpellat *nobilem clade romana:* Herennium, *patre longe prudentiſſimo natum:* arma eorum pia vocat, *quorum nulla niſi in armis relinqueretur ſpes.* Circuitioni huic vicinam virtutem adiungimus *μακρολογίαν*, quae quidem, BENZIO d) teſte, ſi ab imperitioribus hominibus profertur, inanis eſt et vitioſa, ſed ab eruditioribus viris vſurpata, non facile otioſa reperietur. In ſe ſemper quidquam continet,

β) L. IX. c. 2.

γ) L. I. c. 38.

δ) L. II. c. 38.

ε) L. IX. c. 1.

c) BENTZIVS de *figuris grammaticis* pag. 51. et 63. BVCHNERVS de *commutata ratione dicendi* lib. I. cap. XV. §. 1. VOSSIVS in *inſtitut. orator.* l. V. cap. 7.

d) BENTZIVS l. c.

tinet, quod ad rem amplificandam, augendam, exaggerandam pertineat. Animaduertit eam iam antea in LIVIO QVINCTILIANVS e), eiusmodi adferens exemplum: *Legati non impetrata pace, retro domum, vnde venerant, abierunt.* Verba, *vnde venerat*, abundare quidem videntur, sed ita abundant, vt nisi totius comprehensionis elegantiam, nisi cadentes superbe numeros euertere volueris, non facile ex ipsa orationis serie tollere possis. Eiusmodi

ζ) L. IX. c. 1. plura apud LIVIVM inuenimus exempla. Sic, *citati*, ait, ζ) *inde retro, qua venerant, pergunt repetere viam.* Sic eodem in capite eadem iterauit verba: *aut eadem, qua te insinuaueris, retro via repetenda est*, vt LIVIO admodum familiaris haec loquutio fuisse videatur. Plura per *μακρολογίαν* dicta lectori attento passim obuia erunt, quo referenda est amicissima LIVIO phrasis, *fudit fugauitque:* aut *reditum in patriam ac parentes:* aut, *in sententiam eius pedibus iuerunt*, in quibus singulis quaedam redundant, quae tamen loquendi vsus iam pridem tolerauit. Repraesentatio etiam, quae viuis veluti coloribus rem depictam ante oculos legentium sistit, in iisdem est vberitatis caussis. Magna haec virtus est, QVINCTILIANO f) teste, siquidem res de quibus loquimur, clare, atque vt cerni videantur, enuntiat. Altius enim in animum penetrant rerum olim gestarum imagines, quas, ceu praesentem faciem mentis oculis intueri, lectoribus licet. Quoniam vero istae rerum imagines absque insigni attributorum tanquam colorum supellectili nunquam idonee possunt delineari, quo pluribus narratio enituit imaginibus, eo maiores etiam ipsa ostentat diuitias. Vt in eadem, quam modo ingressi sumus, Caudinae pacis historia paullo diutius commoremur, tria ibi occurrunt repraesentationis exempla, magno

η) L. IX. c. 2. exornata splendore. Furculas Caudinas ita describit LIVIVS η), vt ipsum hunc locum Romanorum clade nobilitatum, tibi videaris videre. Indignatio Romanorum militum, qui amissa libertate seruile

ϑ) L. IX. c. 5. iugum iam subibant, tanta repraesentatur elegantia ϑ), vt nemo tam ferus sit, quin misericordia moueatur. Nec minor luctus, audito exercitus sui periculo, vrbem romanam occupauerat, ita a LI-

ι) L. IX. c. 7. VIO ι) depictus, vt fere oratoris munere fuerit functus. His addenda est appositio, duorum pluriumue substantiuorum, ad eamdem rem

e) QVINCTILIANVS in *Instit. orator.* lib. VIII. cap. 1. §. 35.

f) QVINCTILIANVS in *Institut. orator.* lib. VIII. cap. 3. §. 62.

rem pertinentium coniunctio, quae vberius rem exponit et velut interpretatur. Vsus est ea LIVIVS lib. 3. c. 37. sic de tribunitia potestate verba faciens, *Id modo plebes agitabat, quonam modo tribunitiam potestatem, munimentum libertati, rem intermissam repararent.* Et de bello a Fabiis gesto lib. 2. c. 49. *Bellum in priuatam curam in priuata arma versum.*

§. VII.

Periodorum concinnitatem multum etiam ad hanc vbertatem conducere demonstratur.

Inter vbertatis caussas non vltimum occupat locum periodorum concinnitas. Hoc enim modo fieri solet, vt non quidem arida et velut exsanguis lectori offeratur historia, sed quae colorem et succum ex ampliori rerum descriptione recepit. Atque hac nota historiarum annaliumque cognosces discrimen. Hi enim, quam fieri potest, breuissime, omni ornatu detracto, nudam lectorum oculis exponunt veritatem; illae autem ornatum quemdam, non quidem adulterinum aut indecorum, sed quem ipsa rerum copia et dignitas praeparauit, adiiciunt. Dum autem periodorum mentionem feci, non eiusmodi circumscriptiones intelligo, quas oratores, subsidiis longe arcessitis, fucumque interdum imprudentioribus facientes contexere solent, sed quas historiarum conditor, ex rerum attributis, euentibus, caussisque connectit, perfectiorem rei gestae imaginem depicturus. Hac periodorum concinnitate quantopere LIVII historia commendetur, quum ex singulis fere capitibus lector attentus cognoscere possit, vnum sufficiet exemplum rei probandae gratia prolatum. Horatiorum Curiatiorumque certamen, cui duarum gentium fortuna commissa erat, tanta periodorum concinnitate, tanta elegantia, tanta vbertate describit, *x)* vt ferme omne oratorum artificium superet. Primum iuuenum concursum pro futuro suae gentis honore dimicantium et semetipsos pro patriae salute deuouentium tali modo LIVIVS ordinauit. *Datur signum, infestisque armis, velut acies, terni iuuenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt, nec his, nec illis periculum suum, publicum imperium seruitiumque obuersatur animo, futuraque deinde ea patriae fortuna, quam ipsi fecissent. Vt primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et, neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque.* Pauciora suffecissent verba

x) L. I. c. 25.

describendis his rebus. Sed vt maiori pulchritudine ornatam, amplioribusque diuitiis excellentem conspiceres hanc historiam, vario ipsam exornauit ambitu, quem si demere ipsi volueris, non secus ac paupercula et spoliata ornamentis suis muliercula contemtui erit lectoribus. Alacritatem iuuenum, vix dato signo, arma expedientium egregie indicat. Similitudo, qua iuuenum paucitatem cum ingenti acie comparauit, non amplificat modo sed extollit simul orationem. Quanta animorum magnitudine dimicauerint, quanta alacritate sua pericula publicae saluti postposuerint, quae animis ipsorum fuerint obversata, quae ipsis stimulos virtutis iniecerint; haec omnia copiosam LIVII vbertatem circumducendis periodis idoneam indicabunt. Hae igitur rerum adfectiones atque momenta curatius explicita efficiunt, vt non inani verborum tumultu, ventosaeque loquacitatis strepitu incautum decipiat lectorem, sed rerum ponderibus grauem, singulis membris inuicem aptissime iunctis, exstruat LIVIVS continuationem.

§. VIII.

Diuersam latini sermonis varietatem, hanc vbertatem efficere confirmatur.

Magna etiam latini sermonis copia, qua rerum similium euentus versicolori verborum phrasiumque varietate distinxit, ad hanc vbertatem conduxit plurimum. Quot loca? quot regiones? quot oppida? quot homines vario semper verborum ornatu describit? Quot militum delectus? quot vrbium obsidiones? quot itinera? quot bella? quot proelia? quot victorias? quot triumphos diuersissimo latinitatis colore insigniuit? Quum bellis fundata sit creueritque Romanorum respublica, et tot ab hostibus ipsi reportauerint victorias, vt vna velut instrumentum alterius fuisse videretur; mirum sane est, non verba defecisse LIVIVM ad rerum similium toties describendarum enarrationem. Tanta vero ipsi est ingenii vis, vt velut ex perenni fonte scateat insignis variae lectissimaeque latinitatis abundantia. Sed auertamus a bellorum strepitu animos et alio quodam exemplo insignem hanc vbertatem illustremus. Fame saepius Romae laboratum est, quae, quoniam graui malo romanam ciuitatem perturbauit, ab historiarum conditore praeteriri non poterat. Adflixit eiusmodi malum vrbem romanam a. V. c. 262. atque iterum eamdem velut ab iratis diis reuocata tentauit a. V. c. 315. Eius

origo,

origo, caussa et remedia quamquam eadem fuerint, diuersimode tamen a LIVIO exponuntur. Quam famis originem caussamque priori loco LIVIVS hoc verborum ordine explicuerat: λ) *Caritas primum annonae ex incultis per secessionem plebis agris:* eam altero in loco his verbis indicauit. μ) *Coepere a fame mala, seu aduersus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum et vrbis deserto agrorum cultu.* Quum non aliud superesset tollendi mali remedium, quam vt mitterentur in finitimas regiones, qui frumenta coemerent, lecti sunt, quibus hoc negotium daretur, vt rei frumentariae prospicerent. Sed varia res suas gessere fortuna, ex aliis regionibus aduehentes frumentum, ex aliis vero inanes prorsus redeuntes. Vtrumque vtroque tempore gestum LIVIVS ita exposuit: *Dimissis passim ad frumentum coemendum non in Etruriam modo . . sed quaesitum in Sicilia quoque. In Volscis Pomptinoque ne emi quidem potuit: periculumque ab impetu hominum ipsis frumentatoribus fuit.* Altero vero in loco ita verba fecit: *Qui quum multis circa finitimos populos legationibus terra marique nequicquam missis (nisi quod ex Etruria non ita multum frumenti aduectum est) nullum momentum annonae fecisset.* Vnam eamdemque rem descriptam vides, ita tamen, vt alia verba eloquutionesue, alius verborum ordo structuraque, alia quoque incisorum periodorumque facies occurrat. Sed alio praeterea exemplo ingentes has LIVII diuitias aperire nobis licebit. Seditiones vario tempore a plebe romana, quum ob aes alienum et nimiam creditorum in debitores fraudem, tum ob potentiam et superbiam nobilium exortas eximia dictionis varietate LIVIVS describit. Sparsa seditionis semina: natas ex his cum nobilibus rixas: clandestinos conuentus: plebis furorem: linguarum conuitia, strepitus, clamorem, vario semper eloquitur modo. Eiusmodi discordias plebem inter et patres agitatas, quas concitauerat aucta aeris alieni summa, describit LIVIVS lib. II. c. 23. Eadem in historia certamen plebis cum patribus saepe redintegratum, saepe, sed alia semper dictione, exponit. Plebs tumultuatur, detrectat obsequium, conuitiatur patribus, vi ferroque omnia miscent: patres obuiam eunt furori, periclitatur eorum auctoritas, proscinduntur conuitiis, et tantum non capitis periculum euadunt. Et quamquam sedatus iam videbatur, recruduit tamen paullo post furibundae plebis tumultus, sed ita a LIVIO enarratus,

λ) L. II. c. 34.

μ) L. IV. c. 12.

ratus, vt, quamquam ſemper eumdem concitatae plebis erga patres furorem, eadem turbulenta ingenia, eadem furoris nutrimenta, eadem patribus a plebe imminentia pericula videas; numquam tamen eamdem eloquutionis formam videbis, ſed in diuerſa ſemper prodeuntem varietatem. Longius inſiſteremus explicandae huic vbertati, niſi ſpatii anguſtia illud prohiberet. Proinde contenti vbertatis liuianae indolem, quantum fieri potuit, expoſuiſſe, ad alteram diſſertationis partem progrediemur, qualis cum hac vbertate iucunditas coniuncta ſit, inquiſituri.

§. IX.

Iucunditatis quae ſit natura et quomodo comparetur explicatur.

Quandoquidem illud iucundum homines exiſtimant, quod ipſorum animos voluptate quadam perfundit: diuerſa vero diuerſorum hominum indoles ad varia oblectamenta procliuis, nunquam in easdem nititur delicias; indicandum nunc erit, quaenam LIVII hiſtoriis iucunditas inſit, quamquam eam ſentiri facilius, quam explicari poſſe arbitramur. Nos iucunditatem iſtam eiusmodi adpellamus virtutem, qua narrationis taedium euitatur, legentium attentio acuitur, ipſorumque animi hiſtoriis cognoſcendis intenti mira deliniuntur voluptate. Vtrum vero illa iucunditas cum orationis pulchritudine adeo ſit vnita, vt ab illa aeque minus ac radii a ſole poſſint diuelli, an potius nullo inter ſe cohaereant vinculo, iam non ambigam, ne litem, paene ſepultam, reſuſcitare videar: HORATIVS quidem in carminibus vtramque ſeiunxiſſe videtur, poemata vt aeque dulcia ſint atque pulchra requirens, [g]) DIONYSIVS vero HALICARNASSENSIS [h]) pulchritudine quidem nitentes Thucydidis libros commendans iucunditate tamen eos deſtitui dolet. Proinde MORHOFIVS [i]) illorum auctoritate commotus, eamdem amplexus eſt opinionem, hanc reddens rationem, quoniam pulchritudo ab artis praeceptis, iucunditas vero ab indole et ingenio, ſcribentis proueniat. Sed quum LIVIVS vtramque adeo bene et ſapienter miſcuerit virtutem, vt difficile ſit iudicium, vtrum

g) HORATIVS de *arte poetica* v. 99.

h) DIONYSIVS HALICARNASSENSIS περὶ συνθέσεως ὀνομάτων pag. 9.

i) MORHOFIVS de *Patauinitate* LIVII loc. cit.

vtrum pulchritudine maiori an iucunditate eius historia commendetur; operam essemus perdituri, si propterea litem cuidam dissentienti denuntiaremus. Quare potius illud agemus, vt, qua via LIVIVS hanc iucunditatem deprehenderit, ostendamus. Viuidi vero ingenii beneficio maxime debetur, si in historiis res gestae bene dispositae, prudenter exornatae, et eleganter condimentis veluti perfusae sint, vt non fatigent lectorum animos, sed potius eosdem mirifice teneant. Inuita quidquid susceperis Minerua, illud tristem mentis rigorem, inflexibilem naturae toruitatem, et trepidantem in quocumque offendiculo, nec, quo se vertat, scientem animum vbicumque prodet. Quodsi igitur ex historiarum monimentis, a LIVIO consignatis, ingenii indolem diiudicare liceat; excelsam animi magnitudinem, praeclaram ingenii naturam honestissimis artibus innutritam ex merito miramur. Sed nisi toti fallimur, ad naturam felicem ars etiam et exercitatio accessit, ipsique ad iucunditatem et consequendam et cum historiis conuingendam auxilium tulit. Quum vero omnis oratio et sententia et dictione constet, vtriusque tantam curam LIVIVS gessit, vt, quodcumque offensurum putabat, euitaret, quod vero delectaturum sperabat, sedulo persequeretur. Nos igitur quam rationem vbertatis explicandae sequuti sumus: eamdem etiam in iucunditate exponenda seruabimus, quid in sententia, quid in dictione iucundum insit, inquisituri.

§. X.

Quatenus res ipsae iucundam efficiant historiam, diiudicatur.

Multum iucunditatis foeneratur historia ex rerum ipsarum nouitate, dignitate, varietate. Intenti sunt hominum animi nouis maxime rebus, iisque delectatur discendi cupido, quae antea nec visa nec audita ipsi primum obueniunt. Quemadmodum enim palatum eos cibos maxime adpetit, quos vel ex remotioribus terris luxuria hominum aduexit, vel quibus raritas nouitasque maius addidit pretium; ita etiam animi eiusmodi res in deliciis habent, quae nouitatis gratia commendantur, aut nouo saltim deliniuntur condimento. LIVIVS artes, quibus iucunditas orationi conciliatur, edoctus, et noua praecipue desiderari sciens, sedulo cauit, ne exoleta et ab aliis ad satietatem exposita lectoribus obtruderet. Hinc quamquam alii plures ante eum historias romanas condere ausi

erant:

erant; tamen aliam atque illi ingrediens viam a trito tramite multum recessit. Multa proinde in eo inuenies, quae apud alios frustra quaesieris. Multa enim ex annalibus, aliisque historiarum monimentis eruit, inter Romanos nondum adeo vulgata. Frequens annalium ipsorum mentio, quam vt fidem historiis suis faceret interdum iniecit, illud satis comprobabit. Omissis aliis vnico saltim veritas constet exemplo. Bellum cum Volscis anno V. c. 292. Coss. L. Lucretio Tricipitino et T. Veturio Gemino gestum, ingentique ab hostibus parta victoria transactum commemorans LIVIVS, ν) caesorum captiuorumque hostium numerum, relatorum signorum militarium multitudinem, non nisi ex veterum annalium testimonio in lucem produxit. Quam reportatae victoriae gloriam a DIONYSIO HALICARNASSENSI k) prorsus omissam inueni, quamquam alioquin narrationis copia LIVIVM subinde superauisse videatur. Graecis enim hominibus res romanas traditurus HALICARNASSENSIS multa profert, quae LIVIVS, quum inter romanos iam satis constarent, deliberato animo praeterierat. Multa insuper LIVIVS mutuatus est ex aliis historiarum scriptoribus Pictore, Antiate, Pisone, Licinio, Cincio aliisque pluribus, plerumque tamen eorum sententias innouauit, tum errores inueteratos, famamque temere creditam reiiciendo, tum aliam, eamque nouam rerum quarumdam narrationem substituendo. ξ) Saltim alio modo, alio ordine, aliis circumstantiis facta enarrat, quam aequales eius, aut maiores natu scriptores, apud quos easdem historias relatum legimus, praestiterant. Sed neque sola nouitas permulcet delicatorum hominum ingenia, quum nec nouos cibos, nisi sapidi sint, palatum desideret. Dignae etiam lectu sint res necesse est, ne easdem inquisiuisse poeniteat, et operam oleumque perdidisse lector conqueratur. Dignitas vero historiis ex vtilitate, quam secum habent, accedit, quum vel illustre aliquod, quod imiteris, exemplum, proponunt, vel vitae prudenter instituendae viam ostendunt, vel quibus artibus imperia crescant et augeantur, quibusue procellis concussa corruant, quo freno plebis procacia coerceatur, quibus gradibus ad summum honoris felicitatisque fastigium adscendatur, patefaciunt. Haec et alia eiusmodi plura si lecto-

ν) L. III. c. 8.

ξ) L. XXVI. c. 49.

k) DIONYSIVS HALICARNASSENSIS in *antiqq. rom.* lib. IX. pag. 625.

lectorem docueris, percipiet eius animus non mediocrem voluptatem ex harum rerum cognitione, quae ſcitu maxime neceſſaria ſunt ad vitam feliciter prudenterque inſtituendam. Eamdem vero dignitatem cum hiſtoriis ſuis indiſſolubili vinculo coniunxit LIVIVS. Quot quaeſo illuſtria virtutum adparent exempla? Auditis Cincinnatorum, Deciorum, Aemiliorum, Fabriciorum, Scipionum nominibus, quilibet virtutis amans ſtatim adſurget, et egregia eorum facinora geſtiet imitari. Quam eximia ibi narrantur virtutum praemia? Quam graues vitiorum poenae? Quam praeclara reipublicae bene conſtitutae documenta? Quot coercendae plebis conſilia? Quot proeliorum inſtruendorum artes? Quot regendorum populorum inſtitutiones? Quot felicitatis et vitae prudentioris exempla? Adeo cum rebus ipſis coniunctus eſt vſus vt lectu digniſſimam poſſis adpellare LIVII hiſtoriam. Ne deſint exempla, ex pluribus vnum adiiciemus. Hiſtoriam Bruti, o) libertatis romanae vindicis minime bruti, ſi attentiori animo contempleris, inſignia prudentiae documenta, reipublicae ordinandae conſilia, principis populorum animos ſibi deuincientis negotia, viro rebus ciuitatum componendis occupato, maxime fructuoſa huic hiſtoriae leges inſerta. Apud Tarquinium dum commorabatur Brutus, vt mortem, quam ipſi rex machinabatur, effugeret, animi ſimulationem induerat et in tuto latens ſua opperiebatur tempora. Ad gubernacula vero reipublicae admotus, quantum mutatus erat ab illo Bruto, qui ſtultitia ſua inuolutus mortis diſcrimen a ſe auerterat. Tanta animi calliditate res ordinabat, ſacrorum praecipue curam ſuſcipiebat, ſenatum multis caedibus imminutum, nouis in hunc ordinem lectis, reficiebat, domeſticam incolumitatem patriae ſaluti poſtponebat, plebis animos, obiectis Tarquiniorum bonis, ineſcabat, omnemque ciuitatis ſtatum ita commutabat, vt populus romanus, mutata regiminis forma, et inani libertatis ſpecie deluſus, laetioribus humeris ſeruitutis iugum ſuſtineret. Multa ſane in huius hiſtoriae cognitione ſalubria et frugifera latent, vnde publicarum rerum ſtudioſus, ſibi ſuaeque reipublicae, quod imitetur, capere poſſit. Praeterea varietas narrationis impenſe oblectat, dum ſuſpenſum veluti tenet lectorem in expectatione finis et exitu rerum. Moleſtum eſt auribus vna eademque lyra oberrantem auſcultare. Sonora vero ſonorum viciſſitudo titillat aures. Hinc intextae hiſtoriis

o) Liuius L. II. c. I. ſeq.

historiae, interpolati subinde personarum locorumque characteres et inspersae rerum similitudines non possunt non sua varietate animum ad noua semper festinantem oblectare. Hac etiam varietate historiae seriem subinde interrumpit LIVIVS, vel sententiis elegantioribus, vel iudicio suo interiecto. Mox effingit concionem, mox characteres locorum personarumque efformat, mox historiam alia quadam historia interpolat, mox ad populi cuiusdam res gestas perueniens ab ipsis populi initiis omnem historiam repetit. Sic semper animus legendis LIVII historiis districtus varietate quadam recreatur, ne continua eiusdem rei narratione, tamquam itinere longinquiori, fessus, in ipso cursu deficiat. Masinissae illud comprobabimus exemplo. π) In contexendis belli Punici historiis occupatus LIVIVS, et quantum Masinissa Numidarum rex, parti Romanorum accedens, momenti rebus romanis attulerit, describpturus, Numidae historiam a primordiis suis exorsus tanta elegantia romanis historiis immiscuit, vt ista varietas nemini non debeat esse oblectamento. Fata viri per varios casus et multa rerum discrimina ad paterni regni possessionem tandem tendentis, legisse, animumque a rerum romanarum cognitione ad Numidarum latibula paululum auocauisse, neminem poenitebit.

π) Liuius L. XXIX. c. 29. seqq.

§. XI.

Sententiae quantam iucunditatem secum ferant, ostenditur.

Quum paullo ante de narrationis varietate disseruerimus, eam sententiis apte inspersis multum adiuuari contendentes, se occasio iam nobis offert, illud vberius explicandi. Quandoquidem vero in finienda sententiarum natura variant adeo tam veterum, quam recentiorum, sententiae, vt, quam prae aliis adoptes, haud facile inuenias, nos non poenitet eorum esse sententiae, qui sententiam cum VOSSIO 1) adpellant, *generale aliquod pronuntiatum earum rerum, quas in agendo sequimur aut fugimus.* Multa sunt praeterea, quae in iis desiderantur ab artis rhetoricae magistris, quae tamen in compendium redigentur, si duntaxat veritatem, grauitatem, et acumen in iis inueneris. Hoc praecipue acumen eas commendat, si speciem quidem contradictionis prae se ferunt, quae tamen curatius examinata sententiae veritate, omnis euanescit. Hoc enim modo si fuerint comparatae, meditationi faciunt locum, et lectori causam

1) VOSSIVS *Partit. Orat.* Lib. IV. c. 15.

causam adferunt, cur, discussa falsitatis specie, et detecta veritate, possit exsultare. Et quoniam gaudent in sinu plerumque homines, si quem eadem opinione, quam ipsi fouent, imbutum sentiunt: et sententiae praeterea animum ab historiae contemplatione velut in amoenum secessum deducunt; sane quem, ARISTOTELE m) teste, orationi vsum praestant, eamdem historiis iucunditatem conciliabunt. Quantus in sententiis concinnandis artifex fuerit LIVIVS, libelli satis testantur, in quibus seorsim collectae ex LIVIO prodierunt sententiae. Nec tamen coaceruauit easdem, quippe quod fastidium et contemtum excitauisset, sed iis commodissimo loco impositis, tamquam luminibus orationem distinxit. Inprimis conciones magistratuum aut imperatorum, a LIVIO exaratae, iisdem superbiunt, quum neminem magis, quam viros aetate prouectos, in auctoritate constitutos, aut ad reip. gubernacula sedentes deceant. Sed neque minus historicam narrationem decent, inprimis tum vsurpatae, quum memorabile aliquod facinus prolixiori narratione esset enarratum. Offendi eiusmodi factum in LIVIO ρ) quum M. Fabius, proelio cum Tuscis commisso, vbi res in extremum iam fere discrimen adducta erat, et Romani passim iam ab hostibus caedebantur, proelium tamen sua virtute restituit, et egregiam ab hostibus retulit victoriam. Sed decretum ipsi triumphum Consul, tum amisso collega, tum fratris sui funere perculsus, publico priuatoque luctu deformis, deprecatus est, eo maiori miraculo, quo maiori contentione istam lauream alii expugnauere. Sed quum illud venerationem et honorem Fabii auxerit, LIVIVS acutam subiecit sententiam, (*Gloria in tempore spreta interdum cumulatior redit*,) eo iucundiorem, ista clausula, efficiens narrationem, quo maius in eadem sententia latet acumen, alia quoque, nec minus arguta dictione praemissa: *omni acto triumpho triumphus depositus clarior fuit.* Alio loco σ) non minus elegans sententia aliud memorabile factum distinxit. Ibi enim indignationem exponit LIVIVS, quam Tullia ferocis et inquieti animi femina, nupta tamen Arunti Tarquinio, mitis ingenii viro ceperat, quod impari iuncta iuueni, romanum imperium in alienis manibus conspiceret. Scelus, quo se inquinauit, fraudes, quibus virum sororemque induxit, et cuniculi, per quos ad imperium tetendit, dignam praebebant

ρ) L. II. c. 46.

σ) L. I. c. 46.

m) ARISTOTELES ῥητορικῶν lib. II. cap. 21.

bant LIVIO ſcribendi materiam. Quum tandem Tullia per ſcelus et caedes ad adfinis ſui nuptias fuiſſet progreſſa, quas ſimilitudo morum ſceleratiſſimorum contraxerat, egregiam protulit ſententiam: *malum malo aptiſſimum*; adeo apte cum narrationis filo cohaerentem, vt ab illo non debeat ſeparari. Paullo poſt, quum querelae narrantur quibus mariti ſui languorem exſecrabatur, iterum acutiſſimam et huic loco conuenientiſſimam concinnauit dictionem: *aliena ignauia ſibi eſſe clangueſcendum.* Sciens praeterea LIVIVS praecipuam ſententiarum virtutem eſſe, ita cum integro hiſtoriarum corpore cohaerere, vt ipſae ceu conſequutiones praecedentem hiſtoriam ſequantur, ne iſtam quidem elegantiam LIVIVS vilipendit, ſed potius arte mirifica, naturali tamen vinculo has illis vbicumque copulauit.

§. XII.

Digreſſiones et characteres iucunditatem hiſtoriae conciliare, indigitatur.

Digredi ſubinde ab inſtituto ſuo ſolent oratores aeque atque hiſtorici, et in alia quadam ſuo propoſito tamen vicina paululum commorari dicendi materia. Neque illud temere ſuſcipiunt conſilium, ſed vt animus in hoc veluti ſeceſſu requieſcat et ceu laetioribus epulis reficiatur. Nec excidet, RAPINO n) teſte, ſua ſpe hiſtoricus, dummodo non iuſto longius ab orbita recedat, nec exilibus et nullius momenti rebus, aut quibus nulla cum hiſtoriis ipſis propinquitas intercedit, nihil valituram impendat operam, ſed in dignis memoratu rebus, et ipſi hiſtoriae adfinibus, ingenii vires exerceat. Neque hanc iucunditatis cauſam LIVIVS neglexit. Sicubi enim ad eiusmodi diuerticula delatus fuit, ea ita praeparat, ita exornat, vt legentium animos mirifice paſcant. Comparatio

τ) L. 9. c. 17. Alexandrum inter et Romanos facta, LIVIO τ) commodiſſimam occaſionem digrediendi ſuppeditauit. Quoniam enim vterque gentium terror, vterque maximorum imperiorum fuerat auctor, et quocumque victricia circumtulerat arma regiones genteſque in ſuam rapuerat poteſtatem: digna haec erat quaeſtio, quae hoc loco proponeretur, vter eorum ſuperior eſſet futurus, aduerſus ſe inuicem infeſta ſi conuertere arma et de principatu contendere coepiſſent. Nec alienum ab inſtituto id erat argumentum, quum ab ipſa re, in

n) RAPINVS dans *les reflexions ſur l'hiſtoire* pag. 278.

in qua historicus iam versabatur, ad id excutiendum LIVIVS veluti manuduceretur. Id vero ita exornat, vt, quamuis animum Romonarum parti nimis propensum prodat, lectores tamen alliciat, teneat, oblectet. Quantum in historiis digressio valet, tantum et personarum characteres efficiunt o) quibus forma cuiuspiam et natura, vt statim dignosci possit, depingitur. Non tamen cuiuis homini eiusmodi honor est habendus, sed quorum animi corporisque dotes nosse multum interest. Quare sibi semper cauebit historicus, ne in exteriori forma nimium haereat, sed ad intimos animi recessus penetrabit, eiusdemque naturam, velut ex latebris suis protractam publico conspectui exponet. Quam potuit igitur elegantissime depingit LIVIVS Annibalem vel durissima bellorum incommoda, obstinato animo perpetientem, vel felici rerum successu elatum, in Campaniae agris otio lasciuientem, deliciisque ita submersum, vt potiundae vrbis Romae modo mens, modo fortuna ipsi non fuerit data. Inprimis vero eiusdem ducis, Italiam relinquentis, animum, infelici rerum successu exulceratum sic describit, vt eum deos hominesque exsecrantem, audire, dentibusque ex indignatione frendentem videre tibi videaris. υ) Pari felicitate vsus est LIVIVS in describendo regionum oppidorumque situ. Quum enim historici sit, vt, quoties ad locum quemdam nondum adeo cognitum lectores deducit, ipsis ingenium situmque loci aperiat; iucunditas historiis exorietur inde, si non quidem repetita saepius ignobilium locorum facies obueniat, sed eorum, quae insignis aliqua clades nobilitauit, aut memoranda rerum permutatio insigniuit, locorum indoles et forma depingatur. Macedonia nobis exemplo erit. φ) Posteaquam enim haec regio, victo captoque a Romanis Perseo, prouinciis romanis erat adiecta, necessitas imponebatur LIVIO, vt, quae illic rerum commutatio esset facta, indicaret. Quocirca LIVIVS imperii situm, naturam, diuisionem, regiminis statum ita delineat, vt, iis cognitis, in rerum macedonicarum cognitione, lector eo feliciori successu progredi possit.

υ) L. XXX. c. 20

φ) L. XLV. c. 29.

§. XIII.

Verba quomodo iucunditatem efficiant, aperitur.

Sed in verbis eligendis non minorem quam in rebus operam collocabit historicus iucunditatis studiosus. Quum enim omnis

 oratio

o) RAPINVS l. c.

oratio conficiatur verbis, ex eorum etiam virtute non exigua exorietur iucunditas. Parum placebunt narrationes, nisi decoro quodam habitu fuerint vestitae. Quemadmodum enim corporis elegantia maiori effulget pulcritudine, si elegantioribus et pretiosioribus fuerit exornata vestibus; ita et eloquutionis nitor rerum iucunditatem mirifice adauget. Et quamquam fuerint, qui verbis omnem iucunditatis efficiendae potestatem ademerint; nos tamen eam efficaciam ipsis restituere nulli dubitamus. In verborum enim sono, significatione, ordine structuraque, multum plerumque delitescere potest, quod vel animum permulcere vel aures ipsas offendere possit. Nostram sententiam sua auctoritate confirmauit CICERO p) qui et in singulis et in continuatis verbis iucunditatem inesse posse intellexit: *Omnis* ait *oratio conficitur ex verbis, quorum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis coniunctisque constat.* Cum Tullio conspirat egregie QVINCTILIANVS, q) qui, quantopere iucundam orationem eloquutio praestet, edisserens, et ipsum illud CICERONIS effatum mirifice probat, et quotuplici ratione id quum in singulis, tum in coniunctis verbis fieri possit, indicat. Nos igitur hos duces sequuturi, quanta in singulis verbis, quanta in continuatis iucunditas insit, considerabimus. In singulis quidem verbis intuendum esse arbitratur QVINCTILIANVS r) vt sint *latina*, *perspicua*, *ornata*, et ad id quod efficere volumus accommodata. Sed puritas et perspicuitas latini sermonis, quo vsus est LIVIVS, eo minus in dubium a quopiam vocabitur, quo feliciori successu profligata fuit Patauinitas, LIVIO, a Pollione, exprobrata. s) De ornatu igitur et aptitudine praecipue nos sollicitos esse oportet, quam vtramque virtutem et sono et significatione contineri arbitramur. Sunt sane quaedam vocabula, quae eorumdem elementorum collisione, mutarum liquidarumque litterarum coaceruatione et perpetua vel breuium vel longarum syllabarum iteratione raucum stridorem edunt, et asperiorem audientium

p) CICERO de *Oratore* lib. III. cap. 37.

q) QVINCTILIANVS Lib. VIII. *Verba debent praestare sine dubio et admirabilem et iucundam orationem* et c. I. *Igitur, quam Graeci* φράσιν *vocant, Latine dicimus eloquutionem. Eam spectamus in verbis aut singulis aut coniunctis.*

r) loc. cit.

s) MORHOFIVS de *Patauinitate Liuii.*

tium animis incutiunt horrorem. Inprimis frequens elementorum istorum R. S. T. L. X. concursus efferat vocem, vt nescio quid duri in eorumdem pronuntiatione sentiant aures, t) quum vocales A. O. V. ampliorem plerumque praebeant sonum. Aliae vero sunt voces, aurium voluptati magis inseruientes, in quibus nulla elementorum pugna, sed vbi singulis consonantibus singulae interspersae sunt vocales, et apta breuium longarumque syllabarum vicissitudo alternat. Nec minoris momenti est verborum significatio. Sunt enim quaedam vocabula, synonyma vulgo adpellata quorum tamen vnum magis atque aliud rei cuidam proprium est atque peculiare. Alia sunt, quae clariorem rei adfundunt lucem, aut pondus quoddam addunt, et quoniam plus significant, quam propria, ἐμφατικὰ propterea nominantur. v) Sic *gladius, ensis, mucro, ferrum* plerumque eamdem rem denotare videntur. Sed non semper perinde erit, quodcumque volueris vsurpare vocabulum. Mox hoc, mox aliud erit aptissimum. Effrenem militis ferociam passim cuncta prosternentis descripturus, gladio potius, quam ense ipsum armabis: sed iuuenem elegantiae deditum ense potius quam gladio cinges. Atque ita vbique verborum habendus est delectus, eaque seligenda, quae naturae rei, quam descripturus es, maxime conueniunt, eiusdemque simul vel atttributa vel circumstantias indicant. Translata praecipue ob similitudinem quamdam vocabula multum ad orationis iucunditatem valent. Dum enim similitudo quaedam in iis adparet, quae rem ipsam vel clariorem facit, vel occasionem meditationis suppeditat, altius vtique in animum descendunt istae metaphorae, et mira eumdem perfundunt voluptate. x) Quantus vero hac in re artifex fuerit LIVIVS vnico saltim declarabimus exemplo. χ) Ca- χ) L. VII cap. 38.

puam

t) DIONYSIVS HALICARNASSENSIS περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. QVINTILIANVS pag. 463. IVLIVS CAESAR SCALIGER de *caussis ling. lat.* pag. 27. BERGERVS de *natural. orat. pulchritud.* pag. 277 et 283.

v) CLERICVS in *arte critica* P. II. Sect. I. cap. 4.

x) CICERO de oratore lib. III. cap. 38. *Quod enim et declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id quod intelligi volumus, eius rei. quam alieno verbo posuimus, similitudo.* QVINCTILIANVS in *institut. orator.* lib. VIII. cap. VI. §. 3. ita de metaphora ait: *Quae quidem quum ita est ab ipsa nobis concessa natura, vt indocti quoque ac non sentientes ea frequenter vtantur: tum ita iucunda atque nitida, vt in oratione, quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat.*

puam romano militi maxime nociuam ita deſcribit: *Iam tum minime ſalubris militari diſciplinae Capua, inſtrumento omnium voluptatum delinitos militum animos auertit a memoria patriae: inibanturque conſilia in bibernis eodem ſcelere adimendae Campanis Capuae, per quod illi eam antiquis cultoribus ademiſſent.* Vocalis I. quae mollius paululum ſonat, hoc in loco eo frequentius atque elegantius vſurpata fuit, quo magis rei natura, mollities nempe militum romanorum vituperanda id poſtulabat. Diligentiſſime euitatus eſt conſonantium multarum in eadem ſyllaba concurſus, aut vocalium earumdem continua ſucceſſio, adeo, vt fere ſingulis vocalibus ſingulae adſint conſonantes. Quantitas ſyllabarum ita diſpoſita eſt, vt longarum breuiumque ſyllabarum viciſſitudo ſonoram efficiat orationem. Si vocabulorum ſignificationem conſideres, ita ſelecta ſunt, vt rem ipſam iucundiſſime repraeſentent. Vocabulum *diſciplinae*, rigorem, quo milites coerceri debent, optime indicat. *Salubris* proprie herbis tribuitur, ſanitatem hominum firmantibus: inde ad morum integritatem transfertur, iisque dicitur de alimentis, quibus incorrupta morum ſanitas ſolet conſeruari. *Scelus* ex aliis vocibus idem fere ſignificantibus propterea eſt receptum, quoniam factum illegitimum et abominandum ſignificare volebat LIVIVS. *Inſtrumentum*, quod omnem illam copiam atque ſupellectilem denotat, qua inſtrui res quaedam ſolet, iam paratam quarumcumque voluptatum copiam, quam Capua romano militi ſuggerebat, ſignificat. *Delinire*, vero quod animum efferatum, aut quocumque modo exaſperatum mitigare et mollire notat, militibus romanis egregie conuenit, qui ferociores antea, et duriori vitae adſueti nunc voluptatum illecebris decepti, mollitie diffluebant. Adeo verbornm delectum habuit LIVIVS, vt illa vel rei narratae indolem optime oſtendant, vel translata decore, ſimilitudine quadam, quam in ſe continent, effulgeant, et ſonora, ſyllabarum longarum breuiumque commixtione aurium voluptati permultum indulgeant.

§. XIV.

In verborum coniunctione quae iucunditas inſit.

In omni compoſitione tria praecipue neceſſaria requirit QVINCTILIANVS y) ordinem, iuncturam et numerum. Hunc enim feliciſſimum arbitratur ſermonem, cui et rectus ordo, et apta iunctura et cum

y) QVINCTILIANVS lib. IX. c. 4. §. 22. et 27.

cum his numerus opportune cadens contingat. Ordo autem qualis esse debeat, legendo potius et nocturna diurnaque manu versando veterum, eorumque elegantissimorum, auctorum scripta, quam ex rhetorum scholis addisces. Quum enim veteres, quibus vernacula erat latina lingua, animaduertebant statim, si legitima verborum series esset perturbata: et superuacaneum propterea putabant, prolixiori praeceptorum adparatu ea tradere, quae absque illis ab vnoquoque intelligebantur; non nisi ex continua optimorum auctorum lectione istius ordinis notitiam tibi parare poteris. Poteris tamen et longinquiori vsu et frequentiori exercitatione ita adsuescere aures, vt, quid durum aut molle, quid iucundum aut asperum sit, ipsae statim percipiant. Optimum igitur hac in re esse iudicauit QVINCTILIANVS aurium iudicium, quae fragosis et contortis statim offenderentur, clauda abhorrerent et lenibus delectarentur. Quodsi tamen reliquias istas, quas passim QVINCTILIANVS [z]) conseruauit, colligere liceat, ad sequentia praecipue aduertas animum, quae quamquam non propria semper sunt, elegantiam tamen et iucunditatem saepissime secum habent. Quum prima virtus sit, vitium fugere, cauendum inprimis est, soloecismi, peregrinismi et interturbati ordinis vitium. Verbo deinde claudere sensum, si compositio patiatur, optimum putat solertissimus ille dicendi magister, quum in verbis praecipua sermonis vis insit. Naturae etiam ordinem sequi, et quae tempore priora sunt, ordine etiam priora facere, quum latinae linguae conuenientissimum, tum legentium animis iucundissimum erit. In iunctura verborum autem hoc praecipue tenendum esse existimat [a]), vt dissonus vocalium consonantiumque concursus sedulo euitetur. Proinde vocales eaedem aut consonantes, aut syllabae, quae vocem terminauerunt, alteram et insequentem ne incipiant, cures, ne istae inter se collidant litterae, quae, quum minus amicae sint, soni quamdam asperitatem efficiunt. Multum praeterea iuuat iucundam verborum iuncturam commatum membrorumque breuium longarumque apta varietas, ipsarumque periodorum, dictioni tamen historicae conue-

z) QVINCTILIANVS in *Instit. orator.* lib. IX. cap. 4. §. 23. et 24.

a) QVINCTLIANVS lib. IX. c. I. §. 125. et c. 4. §. 36. vbi de hac iunctura egregie agit. Haec praecipue notanda sunt verba: *Ceterum consonantes quoque, eaeque praecipue, quae sunt asperiores, in commissura verborum rixantur, vt S vltima cum X proxima, quarum tristior, si binae collidantur, stridor est. vt ars studiorum.*

conueniens concinnitas. Numerus praeterea oratorius, qui ex idonea per omnem ambitum longarum breuiumque syllabarum viciſſitudine naſcitur, maximopere ornat hiſtoriam aeque ac orationem. Quamquam autem vitioſum ſit ad carminis leges orationem ſolutam adſtringere, et inopinatos effundere verſus; quamdam tamen inter uallorum longorum breuiumque varietatem, et numerorum, orationi ſolutae aptiſſimorum, ordinem oſtendit CICERO [b]) quem ſine adfectationis metu imitari poterimus. Multa quoque QVINCTILIANVS [c]) tradidit, ad idem inſtitutum facientia, ſed qui veſtigia CICERONIS premens, pleraque, vti et ipſe fatetur, ab illo eſt mutuatus. Nobis licebit tantorum virorum veſtigiis inſiſtere, vt, quantum LIVIVS legibus iſtis paruerit, oſtendere poſſimus. Requirit autem CICERO [d]) ad oratorium numerum, tum pedum quorumdam dimenſionem, tum aptam ipſorum membrorum inciſorumque collocationem. Iambum inprimis in demiſſo atque humili ſermone: Paeona in amplioribus: Dactylum in vtroque commendat, ſemper tamen inter ſe miſcendos et temperandos. Praecipue dochimum e quinque ſyllabis ‿ - - ‿ - conſtantem laudat, quouis loco aptum, dummodo ſemel ponatur, ne, ſi ſaepius iteretur, ſatietatem et faſtidium adferat. Maxime vero, quoniam aures extremum exſpectare, in eoque vtplurimum acquieſcere ſoleant, numeroſe cadere terminarique oportere ſententiam, CICERO teſtatur. Optime igitur orationem claudi exiſtimat dichoreo - ‿ - - quamquam et aliae clauſulae ſint, quibus numeroſe et iucunde ambitus finiatur. Hinc creticus - ‿ - et paeon - ‿ ‿ ‿ nec non ſpondaeus praecedente vel Iambo vel Trochaeo commode adhiberi dicuntur, tardior tamen atque hebetior ſpondaeus CICERONI videtur. Monet ſimul, ſe, quum in clauſulis pedes nominet, non de vno pede extremo loqui, ſed huic proximum ſuperiorem, ſaepe etiam tertium adiungendum eſſe. Eſſe praeterea, inquit CICERO, alium modum, quo numerus oratorius efficiatur. Huc quasdam orationis formas refert, a Gorgia iam inuentas, quae caſus habent in exitu ſimiles, vbi paribus paria redduntur ſiue contraria contrariis

b) CICERO in *oratore* cap. 52. et 59. ſeqq.

c) QVINCTILIANVS in *inſtit. orat.* Lib. IX. cap. III. *De compoſitione non equidem poſt M. Tullium ſcribere auderem, cui neſcio an vlla pars operis huius ſit magis elaborata, niſi et eiusdem aetatis homines, ſcriptis ad ipſum etiam litteris, reprehendere id collocandi genus auſi fuiſſent, et poſt eum plures multa ad eamdem rem pertinentia memoriae tradidiſſent. Itaque accedam in plerisque Ciceroni.*

d) loc. cit.

trariis opponuntur, quibus omnibus necessitate quadam et sine industria oratorium numerum effici, summus orator existimauit. *) Si quis operae pretium duxerit LIVII dictionem ad istas leges exigere, inueniet LIVIVM iis seruandis maxime studiosum. Dactylum, paeona, aut, qui huic aequipollet, licet vna syllaba minor sit, creticum a CICERONE adpellatum, frequentissime vsurpauit, spondeo tamen trochaeoque, vt fastidium euitaretur, temperatos. Dichoreum etiam, quo circuitum optime terminari CICERO credebat, non in fine solum, quod tamen frequentissime fit, sed in medio etiam circumscriptionis adhibuit. Obuium aliquod exemplum, quo id comprobaremus, circumspicientibus, illud se nobis obtulit, quo Numae Pompilii virtus, ad quem, transgresso ad Deos Romulo, imperium romanum deferebatur, magna verborum elegantia exponitur. ψ) In principio ψ) L. I. c. 18. statim adparet Dactylus atque Paeon, *inclyta iustitia*, qui per integrum fere caput primas tenent. Tertiam periodum dactylo et dichoreo CICERONI admodum commendato claudit: *coetus habuisse constat:* Quodsi paragraphum quintam eiusdem capitis attente lectitaueris, videberis tibi carminis numeros audire, quamquam carmen non sit. *Audito*, inquit LIVIVS, *nomine Numae, Patres Romani, quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumto, videbantur: tamen neque se quisquam, nec factionis suae alium, nec denique patrum aut ciuium quemquam praeferre illi viro ausi; ad vnum omnes Numae Pompilio regnum deferendum decernunt.* Efficit hanc numeri elegantiam praecipue spondeus, dactylis quibusdam admixtis: efficit prioris membri clausula, spondeo praecedente iambo definita: efficit obuia in altero membro oppositio: efficit denique totius comprehensionis clausula iterum dichoreo terminata, sed, vt varietas adsit, sequente statim Molosso. Iuncturam verborum aeque iucundam elegantemque habebis. Non solum enim sedulo euitauit, ne inimicae inuicem collidèrent litterae, horrendoque stridore aures violarent: sed etiam eleganti sonoraeque verborum compositioni praecipue studuit. Quum, vt illustris BERGERVS **) existimat, vocales A et O, vires vocabuli augeant, vasto magnificoque sono, rei magnitudinem declarante: easdem in principio statim circumscriptionis huius adhibitas duplicatasque vides eo maiori cum elegantia, quo maior Numae Pompilii, futuri Romanorum regis, fama inter Romanos increbuerat. Easdem vero per integram historiam repetitas ita cum aliis elementis permiscuit et

*) CICERO in *Oratore* cap. 49. et 50. **) BERGERVS l. c.

temperauit, vt mira grauitas, quam res ipſa expoſcebat, ſimul indicaretur. Membra vero iſtius circuitus adeo ſcite connexa inter ſe ſunt, vt, quod alioquin elegantiſſimum cenſent artis oratoriae magiſtri, ſenſum totius continuationis, mentemque auctoris haud prius percipias, quam totius comprehenſionis finem contigeris. Neque iſtum verborum ordinem LIVIVS neglexit, quem FABIVS ad eloquutionis iucunditatem praecipue deſiderauit. Hic vero nos edocuit, verbis optime ſententiam claudi; clauſit vero ita LIVIVS non ſingula ſolum quintae paragraphi membra, ſed omnes ferme totius hiſtoriae circumſcriptiones. Naturae ordinem ſequi praecipiebat QVINCTILIANVS; ſequutus eſt LIVIVS, resque ita ordinauit, prouti vna alteri ſucceſſerat. Verum id eſſe ſenties, dummodo paragraphi quintae, ſaepius a nobis commemoratae, ordinem perluſtraueris. Quum Numae nomen ante innoteſcere Romanis deberet, quam ipſum regem eligendum decerneret P. R. id etiam primum in hoc ambitu locum occupauit: *audito nomine Numae* etc. Quum praeterea vnusquisque illorum, penes quos regem eligendi poteſtas erat, ſibi potius, quam alii, patribus potius, quam ex plebe cuidam tantum honorem delaturus eſſet; ita etiam LIVIVS res ſingulas diſpoſuit, quemadmodum eas ab ipſa natura diſpoſitas viderat, hoc modo verba faciens: *neque* SE *quisquam, nec factionis* ſuae ALIVM, *nec denique* PATRVM *aut* CIVIVM *quemquam praeferre illi viro auſi.* Tantae igitur molis eſt, genuinam romanae linguae indolem ſequi, et ſuauiloquentiam ſine faſtidio delectantem conſectari. Accedit omnibus his elegantiſſimus participiorum vſus, quem ab aliis iisque probatiſſimis linguae latinae ſcriptoribus non ſine gratia vſurpatum, tanto cum lepore LIVIVS adhibuit, vt et hic haud exiguum ad iſtam iucunditatem attulerit momentum. Quantum vero reliquis orationis formis a CICERONE paſſim laudatis praeſtiterit LIVIVS, orationes a LIVIO magna cum eloquentiae laude ſcriptae indicio erunt. Elige, ſi placet, orationem Hoſtilii, de Mettio Fuffetio ſupplicium ſumentis, ω) miraberis ibi inſignem eloquentiam dicentis, et, ex frequenti oppoſitione adiunctaque eleganter anaphora, eximiam ſane ſuauitatem percipies.

ω) L. I. c. 28.

§. XV.

De decoro in Liuii hiſtoriis pauca traduntur.

His omnibus vero, quae huc vsque enodauimus, ita vſus eſt LIVIVS, vt eloquentiam ad dicendi materiam prudenter attemperauerit.

rauerit. e) Proinde neque cothurnis vbique incedit nec ampullas proiicit et sesquipedalia verba, sed humilia humili, sublimia sublimi oratione describit. Alio sane modo magnifica fortium virorum facinora et memorabiles humanae sortis casus, alio autem infimae plebis contentiones et rixas profert. Si Camilli, α) patriam ingratam ab exscidio liberantis, magnanimitatem exponit: si vrbis Romae, terrarum dominae, vel magnitudinem, vel a Gallis laceratae et cineribus suis obrutae miseriem depingit; altiori fertur spiritu et vel rerum magnificentiam verborum splendore extollit, vel aliorum commiserationem, indignam potentissimae et maximae vrbis fortunam commemorando, excitat. Si vero inquietae plebis et secessionem molientis altercationes commemorat, omni eloquutionis ornatu reiecto, simplicitatem orationis vsurpauit. β) Nec iniucunda est eiusmodi dictio rerum naturae quam maxime conueniens. Fuco enim orationem illinere et veluti calamistris intorquere, vbi tamen rerum tenuitas exili exaranda erat stylo, aeque ridiculum foret, ac si mendicantis centoni purpura attexeretur, et fulgenti ille distingueretur auro. Sed venerationem auget, aliorumque animos sibi conciliat habitus rem ipsam decens, quem eo maiori cura LIVIVS historiae suae adaptauit, quo magis eam hoc modo placituram esse sibi poterat augurari.

α) L. V. c. 49.

β) L. II. c. 32.

§. XVI.

De adfectuum commotione et modestia Liuii agitur.

Ista vero, quam huc vsque ex verborum sententiarumque delectu ortam esse ostendimus, iucunditas, adfectus legentium subinde commouet nouaeque iucunditatis caussa existit. Licere id non solum historiarum conditori, sed etiam historiae praecipuum ornamentum esse RAPINVS f) iam pridem adfirmauit. Quamquam autem oratoribus tragoedisque proprium sit, eo eloquentiae vires intendere, vt, additis veluti stimulis, audientium animi concitentur; tamen neque historiam, quae absque eloquentiae auxilio ieiuna est et abiecta, dedecet, animos legentium, leuiori tamen vi, quam ab oratoribus tragoedisque fieri solet, commouere. Eiusmodi enim motus in animis excitati non ingrati sunt sentientibus, quin potius placet mascula, vnde illi proficiscuntur, eloquentia. LIVIVM vero tantum huius rei

e) QVINCTILIANVS lib X. c. I. §. 101. de Liuio ait: *Ita dicuntur omnia, quum rebus, tum personis accommodata.*

f) RAPINVS dans *les reflexions sur l'histoire* pag. 265.

rei artificem laudat QVINCTILIANVS g) vt nemo historicorum eius artificium aequauerit. Subscribes QVINCTILIANI sententiae, si quidem eximias quasdam historiae liuianae partes, mouendis adfectibus adprime idoneas, cum cura lectitaueris. Quodsi virilem audaciam Lucretiae, γ) morte sua violatam pudicitiam expiantis, audias, non poteris non tam tristi casui sanctissimae feminae indolere. Virtus, qua inter omnes sui sexus multum eminebat, incorrupta erga maritum fides, et custodita tam sollicite pudicitia, vt nec prece nec pretio potuerit expugnari, omnium ista legentium fauorem sibi conciliabit. Sed in dolorem statim conuertetur fauor, quum ipsam scelestissime vitiatam, gladio sua pectora perfodientem, et in vulnera procidentem conspexeris. Eodem modo Sophonisbae δ) Asdrubalis filiae, quae, victo Syphace, praeda Masinissae facta erat, et amores et misera mors enarrantur. Inprimis Masinissae anxietas, cum amore et timore luctantis et vtra pars victura esset, nescientis, ipsum lectorem anxium reddet. Nec minor luctus animum legentis occupabit, dum Sophonisbam, eximiae pulchritudinis feminam, exhausto, quod a marito, ceu nuptiale donum, acceperat, veneno, intrepide morientem animaduertet. Plura exempla desiderantibus vbicumque obuia erunt. Sic Veturiam ε) Coriolani filii superbos spiritus frangentem, sic Virginiam, parentis sui manibus, ne tyranni libidinibus temeraretur, interfectam, ζ) sic consternationem ex Cannensi clade in vrbe romana subortam tanta elegantia, tantaque arte LIVIVS exposuit, η) vt silicem in pectore gestaret, qui istarum rerum commemoratione non moueretur. Hanc vero gratiam magis adauget modestia LIVII, ϑ) quae dum gloriam contemnere videtur, maiorem inde adipiscitur. In plerisque enim rebus, quae dubiae quodammodo videbantur, ipse nihil decernit, sed sententiam iudicio lectoris permittit. Atque ita eiusdem beneuolentiam captat, suamque ipsi commendat historiam. Odium enim incurrit eiusmodi homo, qui magnifice de semetipso loquutus, sua vbique iactat decora. Is vero alienum fauori se plerumque insinuat, qui parcius de semetipso sentiens, aliorum arbitrio se submittit. Inde etiam euenit, vt LIVII historia, non superbiae vitio obnoxia, multorum animis insigniter placeat.

γ) L. I. c. 58.

δ) L. XXX. c. 15. seqq.

ε) L. II. c. 40.

ζ) L. III. c. 44. seqq.

η) L. XXII. c. 54.

ϑ) l. c. *Itaque succumbam oneri neque aggrediar narrare, quae edissertando minora vero fecero.*

§. XVII.

g) QVINCTILIANVS lib. X. c. I. §. I. de Liuio edisserens, *sed adfectus quidem*, ait, *praecipue eos, qui sunt dulciores, vt parcissime dicam, nemo historicorum commendauit magis.*

§. XVII.

Iudicium Quinctiliani de Liuio magis confirmatur.

Ex iis, quae modo dicta sunt, satis, vt arbitror, adparebit quaenam illa sit virtus, quam in LIVII historiis QVINCTILIANVS laudauit. Ita sane comparata est, vt oblectet legentium animos, et ad tanti operis perscrutationem eo magis alliciat, quo longius, percepto voluptatis sensu, in eo fuere progressi. Sed quum rerum antiquissimo aeuo gestarum commemoratio variis vtrimque obnoxia sit periculis, et vnica voce incautius vsurpata, res gestae vel in maius attolli vel iusto aequius eleuari possint; quam circumspecte in tam praecipiti via incedendum sit, ne virtus vitiorum confinio laedatur, vnicuique patebit. Quam ob rem etsi omnis historiarum fides hautquaquam in dubium vocetur, sed fontes adhuc supersint, ex quibus illa possit hauriri; attamen annales, inscriptiones, numi, tabulae, foedera, epistolae et reliqua monimenta, quae singula fidei historicae nutrimenta praebent, breuitatem amant, et rei gestae memoriam, omissis circumstantiis, verbis paucissimis, conseruare solent. Euentum quidem rerum declarant, sed quomodo ad ipsum finem fuerit peruentum, quibus ex caussis res fuerint ortae, quibus consiliis susceptae, quibus adminiculis sustentatae, quibus fortunae varietatibus iactatae, et quo ordine a primis initiis vsque ad finem fuerint progressae, haec omnia plerumque ii, quorum interest, ab aliorum oculis, callido sane consilio, remouent et silentio tegunt. In tanta igitur rerum penuria historiarum conditor luculentiorem plenioremque rei narrationem parans ea hariolando plerumque supplet, quae in publicis monimentis callide suppressa in vulgus haut poterant emanare, quamquam ipse sibi conscius sit, quam facile in errorem potuerit rapi. Quodsi LIVII historias et antiquiora monimenta, ex quibus LIVIVS sua mutuatus est, comparaueris, nonne iisdem quoque periculis eum expositum fuisse existimabis? Continuam bellorum seriem et innumera alia, quae domi bellique gesta erant, tanta exponit vbertate, vt neminem habeat parem. Sed si monimentorum exiguae et admodum mutilatae reliquiae, vnde scriptionis adparatum se depromsisse fatetur, eorumdemque formae consulantur, quae sola breuitate se commendabant; num aliter poterit iudicari, quam LIVIVM pleraque ab aliis omissa, coniectura fuisse adsequutum, incerta tamen, aut saltim probabilia qualicumque modo sibi visa; eaque, quum vera non suppeterent, eum adoptauisse, vt pleniorem

rerum

rerum commemorationem cupientibus faceret ſatis. Sed quis eo ſuperſtitionis proceſſurus eſſet, vt iis omnibus, tamquam oraculis ex tripode dictis, quaſi erronea vetuſtas nunquam errare potuerit, temere fideret, quum tamen veriora nobis, ab aliis hiſtoriarum conditoribus, res ipſas adcuratius penſitantibus, ſubinde ſuggerantur. Ipſe demum ornatus hiſtoriis ad vbertatem et iucunditatem efficiendam adiectus, niſi ſumma cautione vſurpetur, mirum! quam facile veritatis ſimplicitatem vitiare poſſit. Praeclare id nos docent oratores, qui eloquentiae ſuae viribus quamcumque rem in varias haud raro formas traducere conſueuerunt, et quam paullo ante laudauere, eam poſtea aeque potuerunt vituperare. Non equidem ornatum hiſtoriis detractum cupio, ſed induendum ipſis potius eum cenſeo, dummodo, ne quid detrimenti res ipſae capiant, proſpiciatur. De LIVIO quid ſentiamus, ingenue ſi fateri nobis licet, hautquaquam infitiabimur, ipſum eloquutionis elegantiam intentius quam rerum ſinceritatem curauiſſe, ipſumque et lacteae vbertatis, et eloquentiae oſtentandae, paullo magis, quam rerum veritatis fuiſſe ſtudioſum. Idem illud eſt, quod QVINCTILIANVS explicito in loco innuebat, et quod exemplis quibusdam comprobaturi eramus, niſi ſpatii anguſtia conſilium noſtrum prohibuiſſet, et illud in aliud tempus, quo mentem noſtram vberius explicandi occaſio dabitur, ſeruare nos commonuiſſet.

COROLLARIA.

Scholas publicas negligi reipublicae periculoſum eſt.

Puer ſtudiis deſtinatus melius committendus eſt ſcholis publicis, quam inter priuatos parietes erudiendus.

Vniuerſam philoſophiam in ſcholis inferioribus docere, ineptiſſimum eſt.

Qui graecas latinasque litteras ignorant in doctorum virorum numero non ſunt collocandi.

Eruditorum labores latina potius quam vernacula lingua ſunt conſcribendi.

Medii aeui barbaries potiſſimum ex latinarum graecarumque litterarum neglectu orta eſt.